



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

De peregrinatione & somnijs, Gradus tertius.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](#)

26 IOAN. CLIM. DE PEGRINA.

*De peregrinatione & somnijs, Gradus
tertius.*

Peregrinatio est omnium quæ sunt in patria constantissima desertio, quibus à pietatis destinatione atque exercitatione impedimur. Peregrinatio est omni² confidentia noxia vacuis affectus, ignota sapientia, publicum fugiens prudēcia, secreta via, inuisibilis³ destinatio, occulta cogitatio, vi^litatis appetitus, angustiæ desiderium, diuini affectus argumentum, amoris copia, inanis gloriæ abnegatio, silentij profundum, Solet sere & ista cogitatio in initijs sedulo ac vehementer perturbare amatores dei velut diuino igne, videlicet elongatio à patria & suis, intentione⁴ prosequendæ vilitatis atque afflictionis prouocans huiusmodi amatores. Veruntamē quanto eo maior est & laudibus dignior: tanto discernenda cāutius est. Neque enim omnis peregrinatio si summis (vt ita dixerim) laudibus vel labi s fiat probabilis est. Nam si omnis propheta sine honore est in patria sua. vt ait dominus, caueamus ne forte peregrinatio fiat nobis inanis gloriæ occasio. Peregrinatio enim vera, est omniū prorsus rerū desperatio, ea ratione suscep̄ta, vt nunquam cogitatio nostra à deo separetur. Peregrinus est luctus perpetui & penitus in memoria conditi amator. Peregrinus est qui omnem suorum⁶ alienorumque affectum ac memoriam fugit. Cū ad peregrinationem vel ad solitudinem properas, noli expectare dum tecum p̄trahas affixas⁶ seculo animas. Fur enim ex improviso subrepit. Multi quippe cū negligētes quosque & desidiosos secū seruare molirentur, cū illis una periire, extincto ex diuturnitate diuini amoris igne. Statim vt susceperis flāmā curre. Nescis enim utrū brcm

Matt. 13.

ET SOMNIIS, GRADVS III. 37

þreui extingued sit, ne forte in tenebris te deserat. Seruare 7 alios non exigimur, ait enim sanctus
Apostolus. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem fratres reddet. Et iterum: Qui doces alium,
te ipsum non doces. Tanquam dicit, de alijs quidem
nescimus, scipios autem omnino non sunt omnes.
Qui perigrinationem amplecti instituis, caue gy-
rouagum & studiosum voluptatis dæmonem. So-
let enim peregrinatio ei praebere occasionem. Pre-
clarum est, nulli rerum mortali um affici, sed hu-
ius virtutis peregrinatio mater est. Qui propter de-
um peregrinatur, habitus omnesq; affectus seculi
deponat, ne perturbatiōibus ludibrio sit. Qui à se-
culo peregrinatur, mundū iā nullatenus attingat.
Solent enim diu sopita vitia facillime reuiviscere.
Eua 8 in paradiſo inuita exulat, monachus patria
sua se sponte abdicat. Illa enim rursus ad cōcupi-
cēdūm inobedientiæ lignū pertracta fuisset, hic
autem periculum profecto à carnalibus propin-
quis sustinuisseſet. Fuge non segnius q̄ infestinum
flagellum ruinæ proxima loca. Eius enim fructus
qui non adest, non usque adeo desiderio moue-
mur. Neque hic fallaciæ furum modus te velim
lateat. Suggesterunt plei unque nobis, ut à seculari-
bus nos separaremur, mercede inde maximānos cō-
secuturos afferentes, si videntes fœminas nosipſos
contineamus, ac reluctantando concupiscentiam su-
peremus. Cum annos aliquot remoti à patria ege-
rimus, parumque religionis, aliquid vel compun-
ctionis vel continentia nobis ipsis acquisiuerim⁹,
tunc iam cogitationes vanitatis acrisus incumbūt.
Utque iam reuertamur in patriā importune sug-
gerunt ad ædificationem formamque & utilitatē
plurimorum, qui actus nostres & opera illicia
nouerunt. Quod si quam docendi facultatem aut

Roma 4.
Roma 2.

38 IOAN. CLIM. DE PEREGRIN.

tenuē scientiā fuerimus adepti , tunc iā vt anima-
rum seruatores & magistros ad seculū redire per-
suadent, vt quæ in portu bene cōgregata sunt pes-
sime in pelago dispergant. Non vxorē Loth, sed i-
Gene. 19. psum imitari studeamus . Anima q̄ pp̄e quæ illuc
vnde exierat conuerſa fuerit, vt sāl infatuabitur
iamq; immobilis manebit. Fuge A Egyptum, atq;
itā fuge, vt nunquā illuc reuertaris. Corda enim,
quæ illuc reuersa sunt, pacatissimam quietissimā
que terrā Hierusalē non aspexerunt. Illicitum ta-
men nō est, vt hi q̄ in initio conuersionis ob tuen-
dam spiritualē infantiā suam , omnia patriamq; que
reliquerunt , cum perfecte purgati fuerunt ad eā
utiliter redeant ea s. intentione, vt cum ipsi salu-
lute potiti fuerint , nonnullis etiam causa salutis
fiant: Siquidē & Moyses ille qui deum viderat, ad
salutem gentis suā à deo missus plurima in A egypto
pericula , videlicet in mundo tenebras pertu-
lit. Vtilius est parentes mōrōre afficere, q̄ deum.
Ille enim nos formauit simul & redemit. Illi ve-
ro quos dilexerunt nonnunq̄ perdiderunt. Pere-
grinus ille est, q̄ veluti alterius linguæ ignotæ sibi
linguæ homines in sui agnitione secū habitat. Nō
quo propinquos nostros & patrios agros oderim⁹,
idcirco ab illis secedimus. Absit id penitus. Sed vt
detrimentū quod ab illis in nos manare solet fugia-
m⁹ Qua in re (sicut fere in omnibus alijs) domin⁹
noster nobis magister & documentum est, qui &i-
pse sēpē numero parentes reliquisse deprehēditur.
Mat. 12. Et cum à quibusdam audisset: Ecce mater tua &
fratres tui quærunt te , mox p̄æceptor noster op-
timus impatiibile nobis odiū subinsinuavit, di-
cēs: Mater mea & fratres mei sunt hi , qui faciunt
voluntatē patris mei , qui in cœlis est. Ibi tibi pa-

ter sit, qui ad deponendā peccatorum sarcinā con-laborare tibi & potest & vult. Mater vero compūctio sacra, quæ te possit sordibus abluere. Frater au-tem is, qui tecum ad cœlestē cursum perficien-dum laborat & certat. Sociam tibi & vxoriē quæ-re, quæ nunquam à te separetur, memoriā mortis. Porro filij tibi amantissimi sint, gemitus cordis. Seruū posside corpus tuum. Amicas vero, san-ctas virtutes angelicas, quæ tibi exitus tui tempo-re auxiliari poterūt, si eas modo tibi amicas familiarius feceris. Hæc est sane generatio quærentiū dominum. Affectus dei, parentum excludit affe-ctum. Qui vero vtrunq; se habere dicit, ipse se de-cipit, cum audit dominum dicentem: Nō potestis *Psalm. 23.*
Matt. 10.
deo seruire & māmonæ. Et: Non veni, inquit, do-*Marci. 10.*
minus, pacem mitere in terram & charitatem pa-rentum ad filios & fratres, qui mihi seruire dele-gerunt, sed gladium & pugnā. Separare enim veni-amatores dei ab amatoribus sæculi. Terrenos * & ma-teriales ab his, qui terrena omnia oēm̄q; mate-riam superauerunt. Gloriæ audīos ab humilibus. Lætatur enim dominus in hac contētione & sepa ratione, dum fit propter illius charitatem, Caue obsecro, ne fore cuncta aquarum tibi ¹¹ plena vi-deantur, si propinquorum affēctu & amore te-nearis, atque diluicio amoris sœculi cum eis vna pereas. Noli misereri parentum & amicorum la-chrymis, alioqui in æternum lachrymaberis. Quo-
ties te vt apes circundederint, imo vero vt ves-pæ, ac super te lamentari cœperint, propinq̄tui, constanter ac celerrime ad mortis atque o-perum tuorum considerationem conuertere, vt dolore dolorem possis ex ludere. Pollicentur no-bis subdole nostri & non nostri amici, læta omnia & iucunda se exhibituros, ea sane intentione,

40 IO. CLIM. DE PEREGRINATIO.

vt cursum nostrum optimum p æpediant, sicque
inde iam ad suam voluntatem pertrahant. Sit au-
tem nostra secessio ad eas partes, quæ humiliores
sunt & minus celebres, & ab omni consolatione se-
culi remotiores. Absconde quantū potes, nec præ-
te feras ingenuitatem & claritudinem generis, ne
aliter in ore, aliter in reb⁹ affectus inueniaris. Nul-
lus ita seipsum peregrinationi exposuit, vt magn⁹
ille patriarcha cui dictum est. Egressere de terra

Genes. 12. tua & de cognatione tua: & de domo patris tui, cū
profecto in barbaram atque alterius linguae terrā
vocaretur. Cuius tamen peregrinationem mirabi-
lem, qui pro magnis viib⁹ imitari studuerunt,
eos non nunquam dominus insigni gloria affectit,
etsi hanc diuinitus concessam gloriam conueni-
at, per humilitatis clipeū fugere & declinare. Quo-
ties nos dæmones peregrinationis alicuius vt ma-
gnæ virtutis gratia laudant, toties illius qui de cœ-
lis ad terras propter nos peregrinatus est, intentis-
sima cogitatione meminerimus, inueniemusque
nosip̄os in seculum seculi tantæ propter nos affū-
ptæ peregrinationi non posse satis facere. Grauis
est & omnino vitabilis ad propinquorum vel et-
iam extraneorum aliquem immoderata affectio,
cum ea nos ad sæculum sensim posit atrahere, i-
gnemque compunctionis nostre penitus extingue-
re: Sicut impossibile est uno oculo in cælum, al-
terum in terram aspicere, ita fieri non potest, vt in
his anima non periclitetur, qui corpore & cogita-
tione ab omnibus & propinquis & extraneis non
se peregrinum fecerit. Labore ingenti & fatigati-
one, mores graues & optimos acquirimus, et quos
multo tēporis labore quæsiuerim⁹, fieri potest vt
1. Cor. 15. uno momēto tēporis amittamus. Corrumput e-
nim mores bonos colloquia mala secularia simul
& tur-

ET SOMNIIS GRADVS III. 41

& turpia. Qui post abrenunciationem cum sæcula 1. Cor. 13.
ribus versatur, siue iuxta illos commonet prorsus
aut in eosdem laqueos incidet: aut cor in eiusmo-
di cogitatione inquinabit: aut certe si non inqui-
natus fuerit, eos qui inquinantur iudicans atque
condemnans & ipse inquinabitur.

DE SOMNIIS.

Quod noster cognitionis intellectus imper-
fectus sit, atque omni ignorantia repletus
occultari non potest. Gutiur enim cibos, au-
ris autem intelligentias dijudicat. Etiam imbecil-
litatem quidem oculorum manifestat sol: ignorâ-
tiam vero animæ patefaciunt verba. Veruntamē
charitatis lex etiam ad ea, quæ vires nostras supe-
rant differenda nos cogit. Reor igitur & si certe
statuere non adeo, consequens esse etiā de somni-
is hic pauca inserere, ut huius quoque fallaciæ ma-
lignorum non simus penitus ignari. Somnium est
animi motus in immobilitate & quiete corporis.
Fantasia est oculorum seductio, insopita mente.
Fantasia est animi excessus vigilante corpore. Fan-
tasia est speculatio parum loco¹² subsistens. Cau-
sa ob quam in hoc nobis de somnijs dicendū esse
arbitrati sumus, aperta est. Cum enim relictis do-
mibus, & propinquis nostris, diuinę charitatis cau-
sa nos ipsos peregrinationi exposuimus: tunc iam
dæmones in somnijs nos perturbare moluntur.
Propinquos nobis subinſinuant aut plorantes, aut
moriētes, aut nostri causa lāguore aliquo vel etiā
detrimento fatigatos. Qui igitur s̄omnijs credit, si-
milis est ei, qui post umbram suam currit & eam
apprehendere nititur. Dæmones inani gloriæ in
somnijs propheticè quæ futura sunt ut astutissimi
nobis injiciunt, atque ea nobis per somnium
prænunciant, ut cum impleta fuerint, quæ per
quietem vidimus, supore maximo detineant.

21 IO. CLIMACI DE PEREGRIN.

mur. Et quasi iam propheticæ gratiæ proximi cogitatione tumescere incipiamus. In his qui sibi credunt dæmon sœpe propheta fit. Porro ijs, qui se spernūt semper mētitus est. Spiritus enim cum scit quæ intra hunc aerem sunt, videt omnia, & eum intellexerit moriturum aliquem, id per visum levioribus prædictit. Nihil futurorum ex 13. præscientia nouerunt, namque & venefici mortem nobis prædicere utique possent. In angelum lucis se transfigurantes & in martyrum speciem sèpius transfigurantur, accedentesque seipso nobis per somnum ostendunt, excitantes vero elatione & gaudio præcipitant. Hoc autem tibi erit deceptio-
nis signum: Cruciatuſ & iudicia & separations 14. per visum nobis angeli ostendunt, atque experre-
ctos trementes, mœſtosq; reliquunt. Cum in somno dæmonibus credere cœpimus, tunc iam & vigi-
lantes ab ipsis illudemur. Qui somnijs credit, per omnia reprobus est & stultus. Qui vero eis nulla ratione credit, hic reuera philosophus est haben-
dus. Solis eis crede, qui tibi cruciatum & iudicium denunciant. Quod si te desperatio conturbat, & i-
stud est à dæmonibus,

In 3. gradum Annotationes.

- 1 Peregrinatio antiquis usitatum vocabulū non solum ad corporis secessum refertur, sed etiā ad mētis affectuumq; omnium à terrenis & visibilibus abstractionem: Ita ut corpore peregrinari dicamur, cum sicuti Abraham ē terra & cognatiōe nostra egredimur, in remotiora loca. Animo vero cum iuxta consilium Christi patrem ma-
trem &c. ita relinquimus: ut animuſ ijs non sit amplius occupatus: In qua significacione Plinius animum, & Ci-
cero aures peregrinari dixit.
- 2 Ea est maxima confidencia qua homo spem suam in rebus

terre-

ET SOMNIIS GRADVS III. 43

- 1 terrenis ponit. & in ijs consolationem querit.
- 2 Qua scilicet homo seipsum ad inuisibilia destinat, ijs que se itum deuonet.
- 4 Alij, sub intentione boni & maioris perfectionis, legunt.
- 5 Id est, Deseritio sine vlla spe & intentione recipiendi eas vel repetendi.
- 6 Animas seculo affixas vocat homines mundi negotijs implicatos & seculo se conformantes.
- 7 Dubitellige, Cum derrimento propriæ salutis: charitæ enim post Deum à seipso incipit: alioquin Deum (vt sapiens ait) vnicuiq; de proximo suo mandauit.
- 8 Legendum videtur è paradyso: reiusta exempl. à paradyso legunt
- 9 Quæ scilicet ante conuerzionem & religionem suscepimus.
- 10 Impass. id est, sine aliquo vitioso affectu: quod David perfectum odium appellavit.
- * Materiales vocat homines, qui res materiales, corporales, vel visibles querunt.
- 11 Sensus est: Cae ne cum parentes vel amici aquis tribulationum obrui, & ope tua indigere videantur, tu ijs succurrens, ipse diluvio mundanarum rerum pereas.
- 12 Id est, non permanens: Sæpe enim una cum sumno a uolat.
- 13 Ex præscientia scire, solius Dei proprium est, vt patet Esai 12. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Diij esitis. Sciunt tamen & demones futura, quæ cum ex causis necessarijs prouenient, tum quæ ex fortuitis: sed hæc posteriora non nisi per coniecturam: in qua, cum propter intellectus acumen quæ vigent, tum propter longam experientiam, plurimum vaident.
- 14 Iudicia dicit & separationes pro iudicio & separatio ne: iudicium enim hic significat vniuersale illud, in quo

omnis